



DECASI.
QUÆSTIONUM
ILLUSTRUM, AD SUP-
plendam Ethicarum quæstio-
num centuriam,

Auctarij loco adjunctarum.

Quam

DEO ducente & docente

In Illustri Academia VVittebergensi,

PRÆSIDE

Viro Clarissimo & Excellentissimo

M. HENRICO VELSTENIO,

Philos. Moralis Prof. Publ.

Defendendam suscipiet

PETRUS SIMONIUS FALCHIUS

Calmariensis Suecus.


Ad diem 19. Septemb. horis locoq; consuetis.



VVITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS GORMANNI,

ANNO M. D. CX.



REVERENDIS

Clarissimis atq; Doctissimis Viris

Dn. M. IOHANNI UNGIO,
Diœcesis Calmariensis Superintendenti,
ejusdemq; civitatis Pastori vigi-
lantissimo, fautori colendo,

Dn. M. NICOLAO KROKIO
VVexionensis Pastori dignissimo, quon-
dam Præceptori, omni amoris offi-
cio prosequendo.


Dn. M. DANIELI P. Alectorio scho-
læ Calmariensis Rectori fidelissi-
mo, fratri & amico,

Dn. JOHANNI SIMONIO, Pastori
in Torfaas fratri Germano,

*Nec non Cæteris pietate & doctrina conspicuis,
Dominis Præpositis & Pastoribus per Diœce-
sin Calmariensem,*

Disputationem hanc in grati animi signum,
offerre voluit.

RESPONDENS.



QVÆSTIO I.

An dentur virtutes Theologicæ diversæ à virtutibus Philosophicis: quæ istæ: & quomodo à moralibus & Intellectualibus distinguantur?

Sic hæcenus, bono cum DEO, questionum nostrarum Ethicarum Centuriarum ad finem feliciter perduximus: nunc pro pleniori explicatione unam atq; alteram questionum Decadem adjungemus, quarum prima hæc esto. An dentur virtutes Theologicæ, diversæ à virtutibus Philosophicis; quæ istæ, & quomodo à moralibus & Intellectualibus distinguantur? Ubi respondemus, I. Omnino dari istiusmodi virtutes Theologicas. Ratio sit hæc: quia per virtutes homo perficitur ad æctus, quibus in beatitudinem tanquã finem ultimũ ordinamur. Est a. duplex Beatitudo: Una Civilis proportionata nature humane; alia purè Theologica, excedens proportionẽ nature humane. Ad illã potest homo devenire per principia sue nature; hanc ut adipiscatur, oportet homini divinitus superaddi supernaturalia principia, quæ appellamus virtutes Theologicas, tum quia habent Deum pro Objecto, tum quia à Deo nobis infunduntur, tum quia in sola Theologia traduntur. II. A D. Apostolo Cardinales virtutes Theologicas tres recenseri, Fidem, Spem, Charitatem. 1. Cor. 13. v. 13. III. Distingui has virtutes Theologicas ab Intellectualibus & moralibus: quia habitus specie distinguuntur,

guuntur, secundum formalem differentiam objectorum. Objectum autem Theologicarum virtutum Deus est, prout nostra rationis cognitione excedit: Objectum autem ceterarum virtutum est aliquid, quod humana ratione comprehendi potest. Virtutes igitur Theologicae specie differunt à Virtutibus moralibus ac Dianoëticis. Videatur Thomas pr. q. 62. art. 4. & seqq.

QUÆSTIO II.

An homo ad virtutes vel potius ad vitia sit proclivior?

Questionem hanc copiosè & eruditè pertractatam invenias apud Piccol. grad. 3. c. 5. 6. 7. 8. 9. nos eam hic strictim tangemus.

Pro inclinatione ad virtutum hæ militant ratiocinationes. 1. Quia homo factus est ad imaginem DEI, ut ex sacris constat literis. Quicquid autem ad DEI tanquam summi essentialis boni imaginem factum, id ad bonum est proclivius, quàm ad malum. 2. Quia omnia per internam naturam commotionem seu perfectionem, & id, quod sibi bonum est, expetunt. Piccol. g. 3. c. 5. & c. 1. in introd. At virtus est perfectio hominis, eaq; bona. Ergo. 3. Ut hominis propensio se habet ad scientiam; ita quoq; ad virtutem moralem. Quemadmodum enim illa mentis, ita hæc voluntatis ejus perfectio est & absolutio. At hominis propensio naturam ad scientiam est inclinata: siquidem omnes naturam scire desiderant. Arist. 1. Metaph. c. 1. & Fons. ad dictum locum. Ergo ad virtutes quoq; eodem modo se habet.

Contrarium verò non modò experientia, cui potius quàm rationi, præsertim in civili disciplina, fidem habere tenemur. Piccol. grad. 4. c. 40. sed etiam sacre testantur literæ. Experientia quidem: quia nunquam desinit interna nostri corporis Eva, ac fragilitas coeva, virilem par-

tem

tem, nempe Rationem tentare, quousq; eam vitio subjiciat. Sacrae literae autem quia Gen. 6. v. 5. & 8. v. 21. omne figmentum & cogitatum cordis humani tantummodo malum est omni tempore, seu à pueritia: quandoquidem homo per peccatum ita corruptus est, ut suam naturam ineptus sit ad omne bonum.

Pro quaestione de terminatione distinguendum
I. inter bonum spirituale & morale. Queritur hic de inclinatione ad bonum morale; non verò ad spirituale, ad quod homo non renatus non majorem inclinationem habet, quam homo naturaliter mortuus ad sui resurrectionem.
II. Inter virtutes vel ad appetitum vel ad rationem collatas. Si cum appetitu conferantur, dicimus hominem magis pronum ad vitia, quam virtutes. Vnumquodque enim id appetit, quod natura sua est convenientissimum. Atqui appetitui sensitivo id quam maximè convenit, quod est sensibus gratum & jucundum, seu quod est bonum corporis ac voluptuarium, nosq; à bono mentis avertit. Ergo appetitus sensitivus id expetit, quod bono mentis seu virtuti contrariatur. Si cum Ratione comparentur virtutes, magis erit homo pronus ad virtutes, quam vitia quia ratio semper desiderat bonum mentis, quod est virtus. ~~Ceterum, cum homo non per appetitum; sed per rationem sit homo, rectissime homo dicitur proclivis ad virtutem, eò, quòd si legitime omnia fuerint constituta, & sensus rationi obediaverint, impossibile sit hominem, non secundum virtutem agere.~~ D. Thomas primam secundae quaest, 61. art. 2. Conferatur Timplerus in Empsych. l. 3. cap. 2. probl. 6. pag. 455. Item l. 3. cap. 7. probl. 17. pag. 537. Item in Ethic. general. l. 1. c. 3. quaest. 3. pag. 27.

Quaestio III.

A 3

Num

Num virtutes separari possint; an verò perpetuò co-
hæreant, ita quidem, ut unam qui adeptus
est, omnes consecutus sit?

Virtutes, quarum hâc in vita capaces sumus, ma-
ximè separatas & disiunctas esse, vel ipsa communis re-
rum experientia, cui temerè contradicere est manife-
stæ veritati bellum inexpiabile indicere, satis luculen-
ter attestatur. *Nec enim ex hominibus, qui hanc terra pi-
lam perreptant, quenquam videre licet & audire, qui sit τε-
ραγυνος, sit ἀνδρ. ψόγος, nulla in re impingat, nihil patiatur
humani, cui Pallas omnibus horis astat, & accommodet au-
rea frenâ. Peccavimus omnes, inquit gravissimè Sene-
ca: alij graviora; alij leviora, alij ex destinato, alij fortè im-
pulsî, aut alienâ nequitia ablati: alij in bonis consilijs parùm
fortiter stetimus, & innocentiam inviti ac renitentes perdi-
dimus. Nec delinquimus tantùm, sed usque ad extre-
mum ævi delinquimus. Etiam si quis tam benè purgavit
apimum, ut nihil eum amplius turbare possit ac fallere, ad in-
nocentiam tamen peccando pervenit. lib. 1. de Clement.
cap. 6. Benè ideoque Crates: quemadmodum, inquit,
piscis qui sit absque spina, dari nullus potest: ita nemo homi-
num est, qui omni culpâ careat; qui non monstri aliquid a-
lat, cui non ὑπερβολὴν quoddam adherescat. Ita, verbi gra-
tia, fortis erat Alexander; sed interim ebriosus, iracundus
crudelis; Amantes patriæ Demosthenes & Cicezo, sed u-
terque timidus & instar leporis fugax, mollis ac injuriarum
impatiens &c.*

Pro quæstionis determinatione notandum, di-
verso respectu virtutes cum separatas, tum conjunctas
esse. Separatæ & disiunctissimæ sunt, si prout sunt in
Petro vel in Individuo considerentur. Si enim hîc separari
non

non possunt, erunt, qui unam habent, omnibus necessario in-
structi. At hoc impossibile, uti jam diximus. Nemo enim
inventus fuit $\tau\epsilon\gamma\acute{\alpha}\gamma\omega\upsilon$: Et

————— Virtus sine nemo

Nascitur. Et nihil est ab omni parte beatum
Conjunctæ sunt. 1. Si in Idea & suâ in perfectione
considerentur. Ita verbi gratia fortitudo perfectissima esse
se nequit absque aliarum virtutum societate. Nam cum
omnes virtutes morales mutuam sibi præstent auxilium, &
alia alijs perfectionem adjungant, cumq; virtutes in gradu
heroico omnem postulent excellentiam & absolutionem;
haud dubiè necessario inter se jugata & coherentes erunt.
Colleg. Connimbr. Comment. in Ethic. Aristot. disputa-
tat. 7. quæst. 4. artic. 1. Dominus Sagittarius lib. 2. Ex-
ercit. Ethic. pag. 128. II. Si novam piorum obedien-
tiam respexeris. In hac enim omnes virtutes, quæ qui-
dem necessariae, concurrunt ac mutuas tradunt operas, cum ibi
perfectam esse oporteat, quoad substantiam & partes, li-
cet gradibus & qualitatibus à perfectione non parùm absit.
Sed hanc rem plenius & planius suo loco videbimus: nunc
pergimus.

QUÆSTIO IV.

An educatio sit causa efficiens virtutis moralis,
& quantum in ea situm momenti.

Superiùs decad. 3. quæst. 1. Virtutis Moralisis cau-
sas efficientes tres dedimus. I. actiones. II. $\epsilon\upsilon\phi\upsilon\delta\epsilon\iota\alpha$
seu naturæ bonitatem. III. Educationem & assue-
factionem. De prioribus duabus res plana. In
actionibus, inquit Philosophus, tota vis est, ut habitus in
nobis procreentur. 2. Ethic. Nicom. 2. Natura ve-
rò dedit homini quosdam igniculos & semina vir-
tutum, quæ sunt quasi principia & fundamentum
earum.

earum. Cic. 5. de Fin. De Educatione si qui dubitent, hos Educationis vim ignorare dicimus. Virtutem ergo & exordium suum ex Educatione ducere & robur deinceps acquirere, sic demonstramus. I. Quod veram honesti & turpis noticiam inserit & docet, id ad virtutis acquisitionem vel maximè facit. Ratio est hæc: quia absque honesti & turpis noticiâ tum demum virtutis habitum comparaveris, quando cum morte vita, cum mari ventus fidem fœdusque junxerint. Atqui educatio recta quid honestum vel turpe, quid averſandum vel amplexandum, quid faciendum vel omittendum sit, homini præscribit. Ergo. II. Quod natura pravitatem & non nisi à labore ad libidinem proclivitatem corrigit, & ad benè agendi studium hominem deducit, & assuescit, id non potest non virtutis causis efficientibus accenseri. Atqui nihil horum à recta educatione alienum. Est enim educatio seu recta institutio, desinente Fr. Piccolomineo in Philos. mor. grad. 10. §. 31. nihil aliud, quàm congruens morum juventutis conformatio à rectâ prudentie ratione per assuetudinem accommodatâq; præcepta prodiens, ad honestum felicemq; vitam perducens. Ergo. 3. III. Quo neglecto & posthabito vel præclarissima hominum indoles corrumpitur & exstinguitur, ut ad omnis generis vitia homines dilabantur, id ritè adhibitum maximopere ad virtutis productionem conducit. Ast rectâ educatione neglectâ nemo non ad vitia degenerat, ad malum pleno cursu fertur & impetu, & quò quis generosior, eò deterior evadit. Vnde Platonis illud etiam in vulgus notum: Hominem mansuetum animal esse: qui si rectâ disciplinâ instituat, in mansuetissimum & divinum, prorsus animal evadat: Sin verò non satis aut non benè educetur, ferocissimum omnium, quæ in terris nascuntur, animal reddatur. lib. 6. de legibus. Ergo Virtutis habitui
acqui-

acquirendo recta educatio plurimum inseruit. IV. Si homo 4.
ad virtutem & recte rationis normam non instituendus &
& educandus, jam tum virtute erit praeditus. At posterius
hoc non est. Esset enim à solâ naturâ: id quod negat omnis
rectè philosophantium schola. Natura dat vivere, non be-
nè vivere: natura non gignit ad virtutem habiles, non vir-
tutem implantat. Ergo ut fructus in radice plantæ latitans,
non omnino funditur, si non accedat influentia solis: ita vir-
tus in potentia nature pullulascens in lucem ut edatur, recta
institutio & educatio accedat requiritur. V. Si nihil ad vir- 5.
tutem educatio, frustra omnes latae leges, quæ ad virtutis ex-
ercitium movent & movent. Boni enim omnes nascerentur.
At leges frustra non latae. His namq; ipsis cives suos efficere
bonos & virtutis studiosos volunt Legumlatores. 2. Eth. 1.
Ergo. Præclare itaq; Philosophorum Coryphæus Ari-
stoteles, ἡ ἀρετὴ, inquit, διαφέρεται, τὸ οὕτως εὐθὺς ἐκ νέων ἐθί-
ζεσθαι, ἀλλὰ πάνπολυ, μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν, non parvi refert sic vel
sic statim à pueris assuescieri: sed permultum; imò verò totum
in eo positum est. 2. Eth. Nic. 1. Ea enim Educationis vis
& potentia, ut quemadmodum vas novum, quò primum o-
dore imbuitur, & lana, quo semel colore inficitur, eo manent:
ita quò animus humanus primum educatione q. defleitur,
inde impossibile sit ut reflectatur. Lycurgi istius Laedæmo-
niorum Legislatoris bini canes ὀμογεγεῖς, at per educationem
prorsus ἀνομοθεῖς pueris etiam trimulis noti. Ea educationis
vis & potentia ut & doctrinā multis parasangis antecellat,
& naturæ palmam sæpius ambiguam faciat. Vnde Hieron.
Thriveri apoth. 112. Insuio naturam arboris licet adultæ
variat: Sic & frequenter educatio naturam superat. Hinc
tantum educationi Seneca tribuebat, ut ex equis ferocissimæ
natura egregios & ad omnem usum accommodatissimos, si
nacti fuerint à primis annis rectam institutionem, fieri asseve-
raverit.

B

raverit.

raverit. Epist. 99. Et quod magis est, pravitate sua ipsius
nature, à qua badius, stupidus, vinolentus, incontinens, spur-
cus & intemperans genitus esset, correctam esse, quod si melio-
ri Educationi commississe, dicit abbat. Erasmi. 3. apophth. De
ejusdem præ doctrina præcellentia illud Sadoleti Epi-
scopi ἀληθές αὐτόν: Nemo institui rectè potest adolescens,
qui nequiter fuerit educatus. lib. de rectè instit. liberis. Et
ista Joh. Casi lectissima: Ut cibus non prodest, si stomachus
sit plenus veneno, ita morum præcepta non perficiunt, si ani-
mus sit coopertus vitio. Qui hortum amenum ac frugiferum
habere studet, necesse est primum venenatas & malè olentes
herbas radicibus evellat: ita qui animum. Moralis Philoso-
phia institutis imbueret contendit, necesse est primum hellebo-
rum corrupta natura sumat, quo omnes animi latebra & re-
cessus à contagione dissoluta vitæ expurgentur. Est educatio
prima, secunda, tertia pars vitæ sine qua omnis doctrina (au-
ctore Senecâ lib. de brev. vitæ) est veluti armata injusti-
cia. Ut ergò ædificium ruit, si stabile non ponatur fundamen-
tum, ita Canones & præcepta morum discutuntur incassum,
si educationis non perdiscatur principium. In præfat. Specu-
li Moral. quæst. Et tantum de hac questione.

Q U Æ S T I O IV.

Educatio in quibus consistat.

Quæ hominis partes, ex quibus coadunatis homo con-
stituitur: Corpus vid. & anima, Quoad utramque partem
homo non instructus plenè, sed planè debilis & opis indigus
hanc in lucem editur. In utraque ergò ritè efformandâ &
ad Virtutem effingendâ Educatio erit occupata. 1. Cor-
poris quidem cura & efformatio requiritur. & γὰρ αὐτὰρ
uns

ως ἢ Φύσις πρὸς τὸ θεῶν. ἀλλὰ δὲ καὶ τὸ σῶμα ὑπαίκεται Arist.
10. Eth. Nic. 8. *Etsi mens etiam in corpore existens, tamen
extra corporis adminicula sua in operatione potest progredi &
supera infera contemplari: tamen quatenus immersa est
corpore, non nihil ab hujus afficitur, quin ferè inficitur, mole-
stij & velut umbris. Unde pulcerrimè Scaliger: An perversa
eorum sunt cogitationes, quorum & perversa corpora? Hoc
quoque profectò in proverbio est. Non quod anima sequatur cor-
pus, ut pessimè sentit Galenus. Sed quia ejus substantia, ta-
met si esse quit sine corpore, tamè dum est in corpore, sine corpo-
reis objectis nò potest initiari, ut ita dicā sacris intellectiois.
Ergo non agere quidem. Exerc. 265. quam vide, lege. Re-
spicit vero hæc corporis cura ejus, tum sanitatem tum
& pulcritudinem: quæ utraque si rectè se habeat, vires
& robur corpori conciliant. Sanitatem; *Si enim cor-
pus sanum, vegetiores & feliciores animæ futura operatio-
nes: sin agram, tardiores & stupidiores.* Sagitt. exerc. Eth.
exor. 16. th. 4. ἔστι δὲ ὑγιείας ἡγετῆρος ἔδει ἐν βίῳ quod ait Me-
nander in Monost. Pulchritudinem verò; *hæc enim ex
decenti partium in figura συμπετρίῳ orta,* Scal. in 4. de plan-
tis, instrumentum est virtutis minimè contemnendum, juxta ornamentum
*illud Poëtæ:**

Gratior est pulcro veniens è corpore Virtus.

Facit ergo huc plurimum. I. Alimentorum delectus.
*Nempe non omnia omnibus conveniunt. Quæ itaq; ad cu-
jusq; naturam & temperamentum pro ætatis ratione fuerint
accommodata, subministrantur: ita tamen ut modus serve-
tur, nec in excessu peccetur. Ut enim quod natura contra-
rium est, eandem destruit: sic & quod nimium, ipsi est inimi-
cum. Nature si des necessaria, delectatur & roboratur tan-
quam proprijs: Sin superflua, debilitatur & affligitur tan-
quam alienis.* Lud. Vives in introduct. ad Sapient.

B 2

II. So-

II. Sobrietatis cura & intemperantiæ fuga. *Ut sobrietate nihil natura accommodatius, ita Intemperantiâ corpus effectum senectuti redditur, quin & animo vis maxima inferatur.* III. Studium sedulum, ne membra distorqueantur aut alio quovis modo deformentur. *Hinc certis instrumentis & machinis, quibus puerulorû membra tenella & molliuscula suffulcirentur, ut conformia fierent & proportionata, gentes quasdam suo tempore usas esse. Philolophus testatur 7. pol. 17.* IV. Motus & exercitia. *Vnde Plurarchus: Corporis certamina pueris sunt permittenda quò & apta quadam membrorum compositio simul & robur acquiratur. Revera enim ex istis exercitijs oritur organorum ex mutuo ipsorum attritu durities, insiti caloris augmentum & spiritus vehementiores & majores. Sed ne sint nimia sed convenientia. Ad corporis enim robur confirmandum non ad vires exhauriendas adhibentur. Lycurgus apud Plut. Itaque alia puerorum, alia aliquando adultiorum magis propria, illa leviora, quæ corporis segnitiam depellant; hæc paulo graviora pro cuiusq; corporis constitutione.*

II. Circa animum ritè informandum Educatio versabitur: & tantò quidem ardentius, quantò corpori animus est prestantior. *ἔτι τὸ ζῆν τὸ ἐν ζῆν prevalet.* Prima verò causa hîc sit indagandæ indolis seu naturæ. *Ut non quodvis lignum, juxta Proverbium, Mercurio effabricando aptum. Sic nec omnium natura & ingenium eodem inclinat. Diversi ad diversa trahuntur studia. Non Minerva omnes addicti, quidam etiam Marti, quidam & Mercurio litare gaudent. Ritè ergò exploratâ cuiusque naturâ; si qui ad artes liberales non idonei, ad aliud vitæ genus, ad quod naturâ duce feruntur, traducantur & instituantur: Nec iratâ Deliâ venari & adverso flumine natâre cogantur: id quod temerarium & difficile. Neque verò ex Medico & Medico, sed*

*co sed ex Medico & Agricola civitas constituitur, ut Philo-
 phi est effatum. Si qui verò ingenium nacti liberale, hi
 Minervæ & Musis devoveantur. Horum ergò institu-
 tio ulterior respiciet tum Mores, tum doctrinam: quo-
 rum conjunctio adeò necessaria, ut sejungi ab invicem nullo
 modo queant, aut debeant. Tum demum enim maximè
 quis apud homines probatur, si noverit & dixerit optima, fe-
 cerit verò honestissima, quod olim Agesilaus dixit. Plutarch.
 Non scire tantum velimus sed sapere & facere J. Lipsi, l. 2. de
 Const. cap. 4. Quoad Mores in primis Pietatis exerci-
 tium erga Deum urgendum strenuè. Pietas enim omnis
 sapientia principium, quâ neglectâ omnis in studijs literarum
 peregrinatio, miserabilis quadam est erratio. Postmodum
 & Probitas inculcanda: quo nomine omnes omninò
 virtutes intellectas volumus, quarum actiones, cujusque
 tamen loci & temporis habito respectu, ingenui adolescentes
 suscipere jubentur. Quoad doctrinam & Eloquentia &
 Sapientia attendenda: quarum altera alterius maximè
 indiga & quasi ab eâ pendula. Eloquentia sapientiâ vacua
 mera est garrulitas, & quasi sonus sine mente: cui soli qui se
 dedunt, prociis illis apud Homerum prorsus similes. Illi relictâ
 Penelope ad ancillas se convertere: Sic hi spretâ illâ rerum
 dominâ sapientiâ, ardent tantum in ejus administrâ. Lipsi-
 us l. d. Sapientia eloquentiâ destituta est quasi thesaurus
 terrâ altum defossus, & quasi lucerna accensa sub modio po-
 sita: quin paulum ab inscitiâ differt. *meridie* Vt in Convivio ali-
 quo qui assidet non bellaria tantum & placentas degustat, sed
 stomacho fulcimentum aliquod dat cibi firmioris: sic in publi-
 co isto doctrinarum epulo cur non idem fiat? Ad illa Oratorû
 & Poëtarum mella, adjungenda ista firmior Philosophia am-
 brosia, ut pulchrè hanc in rem Lipsius l. d. Eloquentia sapien-
 tiâ animanda; hæc illâ vestienda & ornanda. Sic prodibit*

verè Hercules quidam, qui clavam habeat & catenulas aureas à lingua dependentes, hoc est, qui rerum momentis urgeat, verborum puritate aures deliniat, auditores sopitos quasi virgâ Mercurij excitet. Breviter cui dici queat: Tu Mente vales, junctâ est faciendis gratia dictis. Calman. in Biogr. meletem. 3. cap. 14. pag. 272. Atq; ita in quibus educatio recta consistat παχυλῶς & ἰσὺς ἐν τὸ πῶ deliba vimus. Plura vid. apud Sagittar. in disput. publ. Quomodo adolescentes, antequam ad Academias ablegantur, sint preparandi? Nos hic finimus ad questionem aliam properantes.

QUÆSTIO VI.

Quantum ad virtutem conferat bonorum societas & contrâ malorum consortium quantum virtuti noceat?

Brevioribus spacijs hic ambulemus, declamationibus prolixioribus ad ambitiosos & ociosos, quorum opera sunt & cibi, amandatis: nature doctricis & ductricis optime imitatores & emuli seduli, quam in omnibus juxta lineas breviores agere, Geometrarum ille facile princeps Euclides prodidit In præfat. opt. Plurimum itaq; bonorum consortium ad virtutem prodesse, malorum verò obesse, sapientium voces undiq; clamitant:

Σοφῶς ὀμιλῶν, καὶ τὸς ἐκθήσῃ σοφός.

Κακοῖς ὀμιλῶν, καὶ τὸς ἐκθήσῃ κακός,

inquit Menander. Ut non ipse solum magnes attrahit, verum etiam aliud ferrum ad se trahit ferrum magneti affictum; Ita contagio vis virtutis aut improbitatis pernicies ab alio in alium transit. Eras. in simil. Et quemadmodum vinum moribus potatorum se commiscet, sic quoq; animus consuetudini se insinuat & sodalibus. Demosth. apud Stob. Boni ergo nobiscum conversantes bonos nos reddunt: i. suis exemplis, in virtutum exercitio præcūdo. Nempe non tam
verba

verba, quam boni mores persuadere possunt. Demosth. non
tam multa monita, quam egregia facta movent & alliciunt.
Si quis magnanimitatem Rutilij, fortitudinem Mutij, Fabricij
constantiam, patientiam Anaxarchi, Socratis equanimitatem,
Reguli integritatem diligentius animo perpenderit, abesse non
potest, quin & ipse ad virtutum studium veluti stimulis &
calcaribus quibusdam agatur & rapiatur. Casm. in Biogr.
meletem. 2. c. 2. p. 124. Quamto vero id magis, si coram spe-
ctet, si virtutis istis alumnis undique cinctus & circumseptus
ambulet? Segnius animum irritant audita vel lecta, quam
visa. II. Perpetuam virtutum commendatione, ad easdem
admittendas & capeffendas jugiter adhortando & pra-
cepta tradendo. Hoc n. dum faciunt, illud adsequuntur, quod
expetiscunt. Eius, quo cum conversantur, animus virtutum
istis laudibus inflammatur, praemijs earundem excitatur, etiam
non animadvertens, ut non imitari eos, sed & emulari & su-
perare satagat. Quod ipsum Seneca pulchre innuit: Minuta
quaedam, inquiens, animalia cum mordent, non sentiunt, adeo
tenuis illis & fallens in periculum vis est. timor indicat mor-
sum, & in ipso tremore nullum vulnus apparet: Idem tibi in
conversazione virorum sapientium eveniet, non deprehendes,
quemadmodum aut quando tibi profit: profuisse deprehendes.
l. 2. Ep. 95. III. vitia sedulo emendando. Hoc n. bonorum
proprium, ut non ipsi tantum turpe nihil admittunt, sed ut
nec alijs peccantibus assentiantur, imo quantum possint ma-
nibus pedibusque peccata prohibeant ac reprimant. Aristot. 8.
Eth. Nic. 8. Sic ergo bonorum consuetudo maximum ad vir-
tutes allecamentum, incitamentum, adjumentum.

Contra Mali & improbi pariter trib. modis, secum co-
versantes ad malitiam deducunt & pertrahunt. I. Su-
is exemplis in actionibus vitiosis praecundo. Quo quidem
ipso.

pag. (m. h.) 225.

ipso tantò facilius & felicius eos ad operationes similes alliciunt, quantò humanum ingenium ad vitia & mala pronius & promptius: quantoq; sepius quidvis patrare impunè ipsis contingit. Hinc optima sepe ingenia pravorum hominum consortio penitus siderantur, & ad turpissimorum scelerum precipitia contruduntur. *Exempla ubi vis obvia.* II. Indies pravitatem suggerendo, & ad vitia instigando. Neque enim facere aliter possunt. E squillà rosa non nascitur, nec hyacinthus: nec uvas spina, vel ficus tribuli producant: sic ab improbis non alia expectes, quàm quibus coreorum abundet. Tum & qui mali, sceleris habere socios unice gestiunt: ut quò bonitate destituti pervenire nequeunt, numero & multitudine, sui similium irrumperere interdum tentent. III. Vitia non corrigendo, quin potius commendando, virtutesque extremè condemnando. *Atque sic in primis*

Virtus pro vitio crimina sepe refert, ut cum Poëta loquar. Ovid. l. i. de remed. amor. *Effrons & effrænis audacia sublimi isto Fortitudinis nomine venit: insana bonorum profusio Liberalitas audit, superbus fastus Magnanimitas habetur. Si quis Temperans, stupidum, vocant: ab obscænis istis salibus alienus, rusticum, insulsum, morosum. Animus itaque nondum confirmatus fallitur virtutis specie & umbrâ: pro perca scorpionem, pro Iphigenia cervam, pro Junone nubem, pro bonis mala, pro honestis turpia incautus arripit & sectatur. Tantùm ergò cum referat, quibus cum conversetur, eò majori curâ eritendum, ut à malis segregati, non nisi bonis adhaerescamus, cumq; hisce vitæ tempora transigamus.*

QUAESTIO VII.
Quo ætatis anno liberorum Institutio
inchoari debeat?

Bona

*Bona institutionis summam necessitatem, pari cum utili-
tate conjunctam, & nos in antegressis questionibus sic satis o-
stendimus, & nemo sanà mente peditus eam negabit. At
quo ætatis anno inchoari debeat, id demùm est, quod qua-
ritur? Nos à primis q. incunabilis instituendi curam, cer-
to tamen modo, exigimus. I. Quia puerorum animi dum
adhuc sunt molles, tanquam cera ad omnem fingi institutio-
nem possunt. Heresbach. de instit. princip. c. 4. Naturâ,
inquit Quintilianus, tenacissimi sumus, qua rudibus annis
percepimus, ut sapor, quo non va imbuas, durat: nec lanarum
colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt.
Et rectè Hieronym: Difficulter raditur, quod rudes animi
perbiberunt. Lanarum conchilia quis in pristinum colorem
revocet? Recens testa diu & saporem retinet & odorem, quo-
primùm imbuta est. Quisquis igitur es, qui filium tuum,
teq; ipsum amas, Phocylidis audi præceptum:*

*Dum tener est gnatus, generosos instrue mores.
Est enim puer tanquam udum & molle lutum, nunc nunc
properandus & acris fingendus sine fine rota, ut ex eo maturè
vas utile in Ecclesia Dei reluceat. II. Quia remotis pedago-
gis omni bestia puer intolerabilior Plato l. 3. & 8. de repub.
& 1. de legibus. III. Qui, juventute per sordida negocia
vel desidia transactâ, instante jam senectute primùm literis,
vacare conatur, plurimùm desipit, meritoq; coarguendus est,
ut illum apud Petrarcham Dædalus increpat:*

*Sera animis quæ cura subit, brevis ecce juventæ,
Flos cecidit, tunc tempus erat, nunc discere turpe est,
Quod pulchrum didicisse foret, sic volvitur ætas,
Omnia sic volvit fugiens ac nescia freni.
Sorte tua contentus abi, cytharamq; relinque,
Est quibus à teneris translata suaviter annis.*

Danda tamen opera, ut sint spectatores magis pueri eorum,
C qua

que sunt percepturi, quam discipuli & actores. Jun. qua. Po-
lit. 40. pag. 2. ut non attracti; sed adducti ad Musas vide-
antur: quod hortulanorum exemplo docet Plutarchus; Vi-
nitiorum vero Vegius l. 2. de puerorum edac. c. 2. Vide-
antur optima apud Aristotem, l. 7. Polit. c. 18. Iohan.
Murmeliū ex officijs parentum & liberorum c. 12. &
& seqq. Barthol. Kecker. disput. Polit. 28. Probl. 23.
p. 271.

QUÆSTIO IIX.

An Institutio puerorum publica esse
debeat?

Sunt, qui hinc privatam velint. 1. Quia in puerorum
copia deprehenduntur quam plurimi pessimis moribus imbu-
ti: adeoque periculum est, ne pessimos imbibant mores, & ex-
empla pessimorum imitentur, qui in turba vivunt. 2. Quem-
admodum bonum publicum ut plurimum negligitur: Ita
& publica institutio: Arist. 8. Polit. c. 1. 3. Præceptor me-
lius unum instituere potest, quam si labores ejus inter plures
dividantur.

Nos cum Aristotele lib. 7. c. 1. publicam præferimus.
1. Quia idem debet esse finis rerum omnium publicè & priva-
tim hominibus 7. Polit. c. 15. Ergo & finis institutionis pu-
blicæ, & mediæ publicæ, & omnibus publicè applicari debent.
Et quilibet civis non debet aestimare se suum esse, sed civitatis,
atque ita liberos non sibi gignere, sed civitati ac Reipub &
idcirco rei communis etiam debet esse institutio communis &
publica. Particula enim civitatis unusquisque est: cura verò
singularum particularum respicere nata est ad curam totius.
2. Quia publicæ institutionis forma dependet à sapientia &
judicio totius civitatis: privata verò institutionis modus fun-
datus est in unius judicio, & ad unius virtutis arbitrium:.

Ioh. Ca.

Iohan. Casus ad r. cap. 8. Polit. Arist. 3. *Quia educatio domestica mollior & licentia ob intemperantem parentum amorem deterior.* Vegius 2. de parent. educ. c. 2. 4. *Domi ingenia vel languescunt, vel inani persuasione tumescunt. Necessse est enim, ut nimium sibi tribuat, qui se nemini comparat. Comparat autem se nemini, qui neminem præter domesticos inspicit, atq; adeo in quo non excitatur honesta emulatio, quam emulandi ansam publica educatio saltem suppeditat.* Quintil. l. 1. Instit. c. 3. 5. *Sic animi consociantur amicitia, quæ ad senectutem usq; firmissima, cum nulla amicitia firmiter putetur, quam quæ in scholis contracta.* Quintil. l. d. 6. *Faciunt hac exempla præstantissimarum rerum publ. quæ parentibus non permiserunt, utrum liberos suos in publicam institutionem tradere velint, nec ne.* Aristot. l. 10. Nicomach. c. 9. & 8. Politic. c. 1. Plutarchus in Lycurgo, Polybius l. 2. histor. Instit. l. 3. Iohan. Casus in sphaera civit. t. pag. 644.

Ad rationes pro privata Institutione allatas respondemus. 1. *Quod publica & privata Institutio sibi non opponantur; sed hæc illi subordinetur, & sic simul stare possint.* 2. *Quod magistratus suis partibus non satis probè defungatur, si publica institutio negligatur.* 3. *Quod publici præceptores sunt plures constituendi & privata institutio simul urgenda.* Vide Keckerm. in curs. disp. 28. q. 24. 274.

QUÆSTIO IX.

An ergo educatio publicis legibus præscribenda?

C 2

Ita

Ita statnimus ob causas hasce primarias. I. Quia major vis est in edicto publico ac lege cogendi nos ad officium, quam in patris precepto alliciendi nos ad virtutem. Pater præ nimiam sæpè indulgentiã quidvis probat in filio; Lex non probat. Omni enim caret affectu & ἀπεσοπωλήτως labens aperit & ulcus penitiùs tangit. Casus l. 10. Eth. quæst. c. 9. p. 643. II. In quo omnis salus reipub. vertitur, illud ab ea non negligendum. At in educatione tota salus reipub. vertitur. Ergo non negligenda. At negligitur, si publicis legibus non præscribitur.

Proinde quemadmodum boni patres familiãs non contemnunt vel modicum stillicidium, vel partem exiguam ædificij in tempore reficere vel conservare, metu, ne ejus defectu tota contextura resolvatur: Ita etiam magistratus nullam, rem oculatiùs intueri debet, quàm educationem sive institutionem puerorum, juvenum, mulierum & aliorum. Horum enim corruptio pertinet tandẽ ad corruptionem totius corporis civilis, quod componitur ex illis non minùs, quàm ædificium ex fundamentis & partibus integralibus constat, quarum neglectio ruinam tandem totius ædificij efficit. Arist. 10. Nicom. c. 9. Tholof. l. 1. Polit. c. 26.

QVÆSTIO X.

An liberi in celebri urbe nati, ubi literarum studia florent, aliò causã majoris profectus transmittendi sint?


Probat magistri perrari sunt: ideoque summã diligentia requirendi. Non te pigeat (Isocrates inquit,) longum iter facere ad eos, qui conducibile se aliquid docere profitentur. Turpe namque fuerit mercatores

tores transire maria, quò cumulatiores suas opes efficiant, adole-
scentes verò ne terrâ quidem sustinere proficisci aliquò, ut
suam meliorem faciant mentem. Sic Euclides Socrati-
cus tanto audiendi Socratem studio flagravit, ut ejus rei gra-
tiâ capitis etiam periculum adire sepius non dubitavit:
de quo videatur Taurus Philosophus apud Gellium.
Sic Pythagoras Memphiticus vates, Plato Ægyptum &
Architam Tarentinum, eamque oram Italia, quæ quondam
magna Græcia dicebatur, laboriosissimè peragravit, ut qui
Athenis magister erat & potens, cujusque doctrinam Aca-
demica gymnasia personabant, fieret peregrinus atque disci-
pulus, malens aliena verecundè discere, quàm sua impuden-
ter ingerere. Quintilianus in lib. 1. de Institut. Orat.
Sic D. Hieronymus non contentus Romæ audivisse Victo-
rinum Rhetorem, & Donatum Grammaticum, Constantino-
polin profectus est, ubi Gregorium Nazianzenum in sacris
litteris habuit præceptorem. Apollinarem quoque An-
tiochia frequenter audivit, & dum jam cano esset capite, A-
lexandriam perrexit, ut à Didymo cæco in sapientiæ studijs
magis erudiretur. Postea Bethlehemum reversus Hebrai-
cas literas nocturno tempore furtim didicit. Timebat e-
nim is, qui docebat, ne Judæi resciscerent, & in se ideò dese-
virent.

Cæterùm, ut diximus, licet bonus præceptor vel
laborioso itinere quærendus sit: pueri tamen in celebri
urbe nati, ubi clarus magister præest ludo literario, non
sunt, præsertim in tenera ætate, ut literas discant aliò
mittendi. 1. Quia stulticia est, cum domi siligineus sit
panis, emendicatofursure foris vesci. 2. Vana est eorum
hominum opinio, qui extra patriam liberos suos meliùs pro-

ficere arbitrantur. Non enim possunt (si Plinio juniori credimus) aut jucundius morari, quàm in patria, aut pudicius contineri, quàm sub oculis parentum, aut minori sumtu, quàm domi. 3. Non conualescit planta, quæ sæpè transfertur. Quin ergò optimi ingenij, atque indolis pueri Magistrum, cui semel assueverunt, si modò bonus sit, tantisper (si commodè fieri potest) audiant, donec & literarum peritiâ & ætate adulti in Academiam aliquam publicam transmittantur. Videatur Joh. Murmelius l. d. Et nos hîc jam finimus.


SOLI DEO GLORIA.



X 2677027

VD 17







(2)

D E C A S I.

QÆSTIONUM
STRIVM, AD SUP-
m Ethicarum quæstio-
um centuriam,
Farij loco adjunctarum.

Quam
O ducente & docente
Pri Academia VVittebergensi,
P R Æ S I D E
Clarissimo & Excellentissimo
N R I C O V E L S T E N I O,
ilos. Moralis Prof. Publ.
Defendendam suscipiet
S I M O N I U S F A L C H I U S
Calmariensis Succus.
19. Septemb. horis locoq; consuetis.

(O)

V V I T T E B E R G Æ
J O H A N N I S G O R M A N N I,
A N N O M . D . C X .